

USUS E VERSU III.

- (1) *Affectibus carere prorsus nequimus: Metus non raro invadit, verum à piis superatur, adjuvante Dei Spiritu, sanctoq; ejus verbo.* 1. Joh. IV, 18. Prov. xxviii, 1. Philip. IV, 13. *vid. præcept. 1. de Fiducia.*
- (2) *Multiplies in terrâ deprehenduntur mutationes, tum physica, tum politica: montes præ aliis eminentes experiuntur varia, à fulmine, ventis, fluctibus, &c. qua tamen pios haud amovent à mentis suæ in Deo tranquillitate. Esto, acum magneticam unâ cum motâ navi moveri itidem vehementer, non tamen eximitur desiderium stella polaris.*

USUS E VERSU IV.

- (1) *Fluctus marini, tumultuosè irruentes, naves ac promontoria conquassantes, horrorem spectatori, præsertim periclitanti, incutientes, egregiè depingunt mundi demonumque furores.*
- (2) *Commotio montium admoneat mundi potentes periculorum instantium.*
- (3) *Cave factum, qualis in mari tumultuante exprimitur. vid. præcept. I.*

USUS E VERSU V.

- (1) *Ecclesia mundo relinquit maria, b. e. abundantiam, ac mercimonia omnis generis, contento interim rivulis fluviòque divinius concessò, b. e. commoditatibus mediocribus, ubi simul horror periculumque non imminet adeò grande: Prov. xxx, 8. 9.*
- (2) *Non deest urbi sanctæ, unde sitim resciat, se ac sua emundet, facundet exsiccata, &c. Psal. XXIII, 3. XLII, 2.*
- (3) *Habitacula Excelsi maximum in hac miseriarum valle præbent munimentum. Conf. Psal. xxvi, 9. XLVIII, 3. Jes. xxxi, 9.*

USUS E VERSU VI.

- (1) *De Dei apud ecclesiam præsentia gratiosè passim in Sacris: est in medio ejus, imò in mediis piorum cordibus: 1. Corinth. III, 16. VI, 19. 2. Corinth. VI, 16. Joh. XIV, 23. Immanuel! nobiscum Deus! Jes. VIII, 9.*
- (2) *Civitas Dei manet immota; porta inferorum non prævalent eidem: Matth. XVI, 18. Esto, moveri iniquarive unam alteramque ecclesiam particularem, ob ingratitude propiam: propterea tamen non cessat Sanctorum hic & illic congregatio.*
- (3) *Auxilium Dei est certum. multiplex, quotidianum, saluberrimum. Manè, discussis miseriarum tenebris, exoritur rursus sol gratiæ: Psal. xxx, 6.*

USUS E VERSU VII.

- (1) *Gentium motus sunt varii, partim quoad varias culpas, partim pœnas.*
- (2) *Everfiones regnorum indè à mundi origine observari potuerunt innumera: Conf. Dan. II, 21. seqq.*
- (3) *Deò loquente, & tonitru velut edente, corroborantur terrestria universa. Hujus igitur verbum semper devotè observantes liberi servantur à tonante Judicis sententiâ.*

PSALMI XLVII. DISPOSITIO.

Dominus exaltans. Christus Dux gentium. Plaudite adscendenti.

Gloriosa hinc Christi Regis adscendentis traditur celebratio, & quidem sub Adhortatione duplici:

I. Continet Monitum: (1) ad quem: *populos universos: vers. 2.* (2) ad quid? *plaudite manu, clangite jubilo: (3) cui? Deo:*

A USUS E VERSU VIII.

- (1) *Jehova est Dominus exercituum: quis ergò hunc indignantem non metuat? quis huic promittenti non confidat? v. L. de Dei nomin.*
- (2) *Immanu, nobiscum est El, Deus: b. e. Verbum caro factum est: Joh. I, 14. quis credentium timeret?*
- (3) *Deus Jacobi, qui majores nostros inde ab Adamo & Noacho semper duxit atque informavit, etiam nostrum hodièque est perfugium. Quidni eidem nos per fidem committeremus totos, in vitâ atque morte? Psal. X, 14. xxxi, 6. xxxvii, 5. Prov. xvi, 3. Jer. xi, 20.*

USUS E VERSU IX.

- (1) *Opera Domini tam potentia, quàm gratia atque iræ meditationem nostram requirunt devotam & assiduam. Omnia ad nostrum transferamus usum: 1. Cor. X, 6. II. Rom. XV, 4.*
- (2) *Nullum in civitate, imò in orbe universò, malum aut pœna, nulla vastitas, qua non ad justum spectet incalis Judicem: Amos. III, 6.*

USUS E VERSU X.

- (1) *Frustrâ pacis agitantur consilia, nisi Pacem decreverit Dominus: Jes. VIII, 10.*
- (2) *Deus est, qui bellis imponit finem: Psal. xxxv, 1. seq. Jes. XL, 23. homicidam antiquum (Joh. VIII, 44.) reprimendo, hominibus terrorem incutiendo, animos aliorum flectendo, &c.*
- (3) *Arma bellica, Israëlitis, hodièque pio magistratu, concessa sunt omninò contra hostes publicos; verum confidendum illis est minimè. quàm facile incendium tollit ingentem illorum copiam? quàm facile cedunt hostes aliorum transferenti? &c.*

USUS E VERSU XI.

- (1) *Abeundum cessandumque à speculationibus consiliisque carnalibus, itemque ab omni inquietudine impatiente: Jes. xxx, 15.*
- (2) *Intellectus ad solam solius veri Dei notitiam rectè dirigendus: Joh. XVII, 3. Hac de causâ ratione sumus præditi præ brutis, ut Creatorem nostrum agnoscamus decenter: Eph. IV, 23. Rom. XII, 2. 1. Cor. I, 5.*
- (3) *Exaltatur Deus inter gentes, quando fama sapientiæ, potentiæ, justitiæ, gratiæque ipsius adeò innotescit passim, ut conscientie convictæ sint de omnium horum altitudine, creaturarumque aut Deorum aliorum confictâ vanitate.*

USUS E VERSU XII.

- (1) *Repetitio ejusdem sententiæ, quæ adfuit v. 8. commonefaciat nos assidua repetitionis in studio pietatis. Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur, Quamdiu vivimus, recolenda priora, attendenda nova, applicanda rectè cognita.*
- (2) *In Deo nobis præsentem gloriandum unice contra demones ac mundum: Jes. xxxi, 5.*

ibid. (4) cur? quia *Excelsus* est (a) *terribilis* vel *venerandus*, vers. 3. (b) est *Rex magnus terræ universæ*: ibid. (c) *subjicit nobis gentes varias*: vers. 4. (d) *elegit nobis certam gloriosamq; terram hereditariam*: v. 5. (e) *adscendet tanquam triumphator cum jubilo & sonò tubæ*: v. 6.

Kk 3

II. Co-